AD QVODLIBETARIAM.

QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXIII. MENSIS DECEMB.

Magistro ROBERTO LE SECQ, Doctore Medico moderatore. 621.

An Empyicorum sinistrum latus vrere vel secare securius sit, quam dextrum?

CORPVS humanum rerum sublunarium præstantissimum opificium & naturæ miraculum, adeò multis gradibus supra cæteras res naturales author naturæ extulit, vt videatur voluisse ex eo tanquam absolutissimi operis exemplari de se fieri existimationem. Temperamento eucrato, velut lesbia norma constans ex quatuor elementis, igne, aëre, aqua, & terra, & quatuor humoribus, velut remotioribus, semine & menstruo, vt propinquioribus principijs, tam eleganter elaboratum, quò sit animæ, diuini muneris æternitatis, participis & præstantissimarum actionum sibi propriarum domicilium. Tribus principibus partibus, quasi columnis firmissimis, hepate ad nutritionem, corde ad vitalitatem, cerebro verò ad animalitatem, siue actiones homini maximè proprias, ratiocinationem & reminiscentiam optime fabricato & constructo stabilitur, instruiturque partibus similaribus solidis, carnosis & spirituosis; instrumentarijs pro figuræ & conformationis in magnitudinis, numeri, meatus, cauitatis, leuitatis, & asperitatis conuenientia positę varietate differentibus, & in vtrisque communibus situ & connexione siue continuitate legitima positis.

QVOT partium sunt genera, tot sunt & morborum ideæ. Principum partium simplex, vt φλόγωσις, coniugata vt calida sicca, vel cum materia vt phlegmone; erysipelas in cerebro, corde, citius dissoluit integritatem corporis, quàm partis minus principis: Vnde fit vt φρενῖτις & περιπνευμονία minus sint lethales quàm apoplexia, vulnus cordis & syncope cardiaca; tumor præter naturam, siue apostema pleuræ minus mortiferum, quàm ἀπόστημα pulmonis, quemadmodum apostema pulmonis minus est mortiferum, quàm apostema cordis, scirrhus lienis tardius interficiat quàm hepatis & apostema sinistri ventriculi cordis citius interimat, quàm dextri. Sic αἱμοῤῥαγία ab aorta, quàm à vena caua & hæmorrhagia à vena caua, quàm ab alijs venis est terribilior, metumq; maiorem incutit, vt pote citius ægrum interimens.

VNAQVÆQ; pars corporis patitur triplicem morbum, similarem, organicum, & communem; vnde fit vt cum δυοῖς τοῖς πρώτοις τροφῇ καὶ πνεύματι τὰ ζῷα ζῇ, ex his multo magis conducit ἀναπνοή. Hanc si quis supprimat non diu fuerit incolumis ἀλλ' αὐτίκα θνήσκει ἄνθρωπος respirationis organa, εἰσὶ κύρια ἀρχὴ μὲν ῥῖνες, ὁδὸς ἀρτηρία, χώρη δὲ πνεύμων θώρηξ δὲ πνεύμονος ἔρυμα καὶ δίκη, thoraci motum ministrat cerebrum, beneficio neruorum, musculos thoracicos mouentium. Thorax verò pulmoni conseruat attrahendi frigidi aëris beneficium. Nam pulmo in se continet cor σπλάγχνον θερμὸν ζωῆς καὶ ἀναπνοῆς ἀρχήν. Cor cùm malè se habet, tunc mors cita est, si pulmo κακῶς ἔχει difficulter spirat καὶ ζῇ κακῶς, nisi remedijs citò prouideatur. Si insigne sit vitium, vt ruptura venarum & arteriarum pulmonis, vocis spiritusque sublatio sequitur, ὄλεθρος αὐτίκα ἔσεται νοσῶν. Si pulmo refrigeretur, tussit æger sine sputo, respirat rarò, & appetit calidum aërem, frigido læditur. Si pulmo calfit nimium læditur calido aëre, iuuatur aëre & potu frigidis, respirat æger crebro. Obstructi pulmonis signa sunt, quod æger oppressus sit in pectore, dyspnœa afficiciatur graui cum raucedine: si trachea arteria humorum copia, vel à fumo, clamore vel frigore fuerit corrugata, vel cum tussicula, si humor acer leuiter irritet guttur, vel cum vera tussi. Si pulmo & pectus occupentur ab acri & multo humore, tunc pectoris & pulmonis facultas expultrix, quod sibi molestum est excutere conatur. Quod si humor noxius sit, lentus & nimius tunc fit δύσπνοια πνιγώδης vel καταῤῥοῦς πνιγώδης ægrum citò perimens: si læues pulmonis arteriæ siue bronchia ῥέγχος efficiant. Obstruitur verò pulmo asthmate, vel crudo tuberculo, & materia gypsea & lapidea bronchijs incuneata: cogitur æger orthopnoicus esse. Pulmo affligitur morbo communi, si peripneumonia vt plurimū pleuritidi, vel anginæ succedanea teneat ægrum cum dyspnœa, genis rubris, oculis imflammatis, & intumescentibus, & sputo cruento, oppressione thoracis, febreque continua.

Eμπύημα fit cum magna in pleura, pulmone vel aliquo viscere imflammatio suppurat, & est morbus in numero simul magnitudine & solutione continui. Pro natura partis suppurandæ, ratione virium & ętatis ægri empyematū suppurationes variantur. Nam tumores ventris inferioris minus suppurantur, quàm qui sunt in præcordijs, minimè verò tumores qui sub vmbilico consistunt, ad suppurationem vertuntur. Suppuratio tumoris duri, & per totum hypochondrium diffusi rara est & periculosa, tumoris verò, vnum tantùm pręcordium occupantis suppuratio facilior, & minus periculosa. Sinistri hypochondrij suppuratio est securior quàm dextri. Suppurationes vesicæ penitus sunt horrendæ & pernitiosæ. Pernitiosissimæ verò, quæ cum febre continua fiunt. Soluit autem vrina purulenta micta, quæ albam læuemque subsidentiam habet: si verò neque ab vrina quidquam remiserit dolor, neque vesica molliatur & febris continua fuerit in primis circuitibus morbi ægrum moriturū timor est. Atque hic morbus pueros potissimum septennes corripit, donec ad decimum quintum peruenerint. Ex suppuratione auris pereunt iuniores septimo die vel citius, senes verò, longè tardius, & abscessus iuxta aurem citra iudicationem oborientes, non suppurantur, quibus disparentibus spes est ad articulos abscessum fore aut vrina crassa liberatos iri. Empyicorum à peripneumonia seniores magis intercunt, ex alijs imflammationibus iuniores magis moriuntur, senesque minus patiuntur empyema, minusque spuunt sanguinem quàm iuuenes.

Eμπυοι nondum facti phthisici sic tractandi. Instituēda est diæta desiccās, aër vel sponte sua sit siccus qualis est æstate, vel arte, multo igne, herbis calefacientibus, vt saluia, rore marino & similibus accenso: ex quo sic hauriant vaporem & calorem furni ardentis. Panis sit bene fermentatus ex electo frumento, vinum sit maturum, album vel clarum: iuscula sint, adhibitis bechicis, & gallinaceis, vitulina, ouina carnibus. Vsus sit auium montanarum, & non in aquis degentium. Oua sorbilia, lac capræ, extremitates hœdi, agni, hordeatum, auenatum conueniunt. Iuscula ex caulibus, cicere, hyssopo, ius lentium cum croco & hyssopo; secanda vena suo tempore, leuiterque purgādus æger, cassia, rheo, agarico: postea materia purulenta maturanda electuario, vel decocto, ex radicibus enulæ campanæ, ireos, fœniculi, caricis, dactylis, iuiubis, prassio, origano, glycyrrhiza, passulis mūdatis melle & saccharo. Emplastro pectori admoto. Si dormienti ægro in partem affectam vomitus & tussis prouocentur, pilulamque ex hyeræ picræ Gal. sex partibus, & pulpæ colocynthidos vna compositam teneat ore dormiens, cogetur spuere, sicque eruptionem puris accelerabit: vel suffumigio ex styrace calamita, materia tunc euacuanda expectoratu, fugentibus ipsam pulmonibus, & in os explodentibus, hydromelite aquoso, & alijs bechicis, sin minus per vrinas erit educenda. Si his remedijs eruptio puris non fiat, ne mora pulmo vlceretur, & putrescat, sectio lateris ab experto Chirurgo tentanda, qui inferne sursum numerando apertionem molietur, inter tertiam & quartam veras & legitimas costas, idque cauterio actuali, potius quam nouacula ad myrthi folij similitudinem facta apertione superne, deorsum versus ducta, qua, sensimque pus effluat, tum thoracis capacitatem iniectione detergente, ex decocto hordei & melle rosato absterget, medicamentisque per os assumptis, saniem expurgabit. Phlegma, si quod sit in pectore, mentastro, thymo, prassio, amigdalis vtrisque incidendum desiccandum, ne tot vacuationibus factis, æger non sit ferendo (quia vacuationi solet esse annexus virtutis casus) roborabitur omni genere cardiacorum, vino generoso, ouis, gelatina & cibo tenuium partium.

Ergo Empyicorum sinistrum latus vrere vel secare securius quàm dextrum. 68

Asserebat Lutetiæ FRANCISCVS DESFRANCOIS Velaunus, Anno R. S. H. M. DC. XXI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Robertus Tulloue. M. R.
M. Michael Bommer.
M. Antonius le Rat.
M. Dionysius le Sou.
M. Bartholomeus Baralis. M. R.
M. Carolus le Clerc.
M. Philippus Harduinus de S. Jacques. M. R.
M. Franciscus du Port.
M. Ioannes Beau-chesne. Antiquior Magister.